
DE REBVS A CAROLO V. CÆSARE ROMANORVM IMPERATORE GESTIS,

Ioannis Michaëlis Bruti

Oratio.



ANTVERPIÆ

Apud Ioannem Bellerum

sub insigni Falconis.

M.D.LV.

Cum Priuilegio.

Ne quis in Cæsaris ditione præter Ioannem Bellerum orationem Ioannis Michaëlis Bruti de rebus à Carolo V. Cæsare gestis, imprimat: aut ab aliis impressam intra decennium vænalem habeat, Imperiali sanctione cautum est. Bruxellæ Cal. Aug. M. D. LV.

Facuez.

PHILIPPO

ANGLIÆ, GALLIÆ,
Neapolisq; Regi, Hispaniarum Principi Maximo & Potentiss.
Ioannes Michaël Brutus
S. P. D.



ST magna quædam opinio, quæ iam multorum literis & monumentis confirmata, penitus inter nostros homines inueterauit, ita maiores in omni genere laudis excelluisse, vt qui eorum virtutem æmulari possint, plurimos illi quidem esse fateantur: qui assequi vllo modo aut æquare, contendant penitus esse neminem. Qua quidem in sententia si imperiti solùm homines essent, præclarius sanè agi nobiscum videretur; sed ii ipsi qui plurimum inter

cæteros fama sapientiæ atq; ingenii excellunt, siue hoc illi dandum multitudinis iudicio esse existimant, siue ita (hercule) verè esse arbitrantur, & veteres summis laudibus extollere, & suorum eleuare ingenia consueuere. Hos ego homines, nō solùm propterea quòd ita illi iniqui sunt suis, quos incitatos studio gloriæ sua authoritate deterrent, & remissiores tardioresq; reddunt, sed etiam quoniam in causa iniquissima sunt, refellendos semper refutandósque censui. Nam vt ab iis artibus, quarum vis omnis in faciendo atq; in agendo est, initium faciam; neque Apelles vnquam, neque Lysippus; quorum alter in pingendi, alter in fingendi arte princeps habitus est, si his temporib. reuiuiscant, recusaturi sint, quò minus qui nostra ætate floruerunt, clari homines & iis ipsis in artibus summam

mam

mam laudem adepti, secum de principe loco certent. Ac nostris hominibus tamen, si cum veterum præclaris illis quidem operibus, quæ multa adhuc Romæ visuntur, eorum signa conferantur, exæquari fortasse cum illis licuit, fama hominum (quod iniquissimum est) eodem loco æquè collocari non licuit. Non necesse hic habeo singulos nominare, qui aut hoc tempore, aut paulò ante nostram ætatem excelluerũt. Neque enim aut Raphaël Vrbinas solus fuit, qui Leonis Decimi Pontificatu Romæ claruit, aut Michaël Angelus, vtraque iam ille in arte (quod nemini vnquã ex superiorib. contigit) habitus summus; neque is qui maximè in Germania inter cæteros præstitit Albertus: sed multos præterea quotidie existere animaduertimus, quorũ nomina cùm illi iam inter primos cen-

 seri

ſeri poſſint, temporũ iniquitate ſæpè tradita obliuioni intereunt. Atque vt iam ad maiora veniam; vna eſt ars inter homines, qua illi maximè ſibi aditum patefieri ad gloriam & ad immortalitatem putent, quæ tota in ſcientia rei militaris poſita eſt; neque in ea ipſa tamen habet noſtra ætas, quòd maiorum virtuti & gloriæ inuideat. Haud exiguus eorum numerus eſt, qui aut patrum memoria, aut hac ipſa ætate, cùm ſe à prima ſua adoleſcentia, rebus bellicis dedidiſſent, audeant cum clariſſimis ſuperiorum temporum Imperatorib. de hoc ſtudio gloriæ certare. Sed vnius Cæſaris virtus facit, vt hoc minus mihi in præſentia agere neceſſe ſit. Ita enim cùm ille ſit iam grandis natu, adoleſcens admodum ad res gerendas acceſſit; vt virtute, felicitate, ſapientia, rerum maximarum vſu,

ali-

aliisq; omnibus imperatoriis artibus superiores omnes, se ipse moderatione animi, clementia, facilitate, in summo rerum omnium fastigio superauerit. Iam vt demus multos & apud Romanos homines & apud Græcos illustres habitos, qui sua sapientia & consilio regere ciuitates & Resp. possent; facile contrà mihi sit, plurimos hoc tempore enumerare; & summos illos homines, & cùm magnitudine ingenii præstantes, tum plurimo rerum vsu exercitatos, qui hac laudis contentione haudquaquã sint illis concessuri. Reliqua sunt studia literarũ, in quibus vt se maximè vinci nostri homines patiantur; ita facilè contendant, si cætera sibi cum veteribus paria sint, non magis quàm in aliis illos fuisse superiores futuros. Atque (Hercule) quanquam dispar in primis hæc contentio est, ita

multos tamen è nostris, & in philoso-
phiæ & in eloquentiæ studiis excel-
luisse animaduertimus, vt ex anti-
quis, quibus illi in hoc gloriæ cursu
præuertant sint plurimi; perpauci
sint quos sibi vllo in doctrinæ genere
anteire patiantur. Quæ sanè res eò
maiores nostros clarioresque reddit,
quò illis quidem cùm traditas à ma-
ioribus liberales artes fœdè tempo-
rum iniuria deprauatas, instaurandas
perpoliendasq; suscepissent, magis q̃
superioribus adlaborandum fuit, &
maiora olim amplioraq; præmia, na
uis & industriis hominibus proposita
ad honesta studia fuere. Qui nunc
quidem, cum omnibus vitæ præsi-
diis & ornamentis destituti, careant
plerunque hominum luce, & in ob-
scuro lateant: alterum illi quidem
assequuntur, vt honestatis specie ca-
pti videãtur (quod illis pulcherrimũ
ad

ad immortalitatē futurum est) consenescere in literis voluisse; alterum non possunt dissimulare; quin iniquissimo animo ferant; iis per summam iniuriam deiectis, qui maximis in rebus consulere vitæ hominum possent; debitum virtuti locum indignissimis sæpè hominibus atque adeò natis ad perniciem hominum ingeniis patêre. Qua in tanta temporum iniquitate, si ita illi contempti & abiecti, vna & eadem voce de communi hac omnium fortuna con queri possint, si cuius opem & fidem implorare, si quem poscere communium iniuriarũ vindicem, te vnum, Rex Maxime Potẽtissimeq; adeant, te poscant, tuam opem ac fidem implorent, te vnum, inquam, esse futurum spondeant, cuius ope, potentia, authoritate, singulari quadam in doctos & eruditos homines inductione

animi &voluntate,& caput attollere virtutem, & in antiquum ſplendorẽ & dignitatem ſe ipſi vindicare quan doque ſperent. Cùm autem ſumma tua virtus & ſapientia,iacentes & afflictos bonorum animos in ſpem ere xit,cogitationemq́; meliorem; tùm me vnum & excitauit plurimum, & adhortata eſt, vtcùm in exigua ſpe eſſem,fore vnquam,vt te tantum re gem mihi vllis meis officiis conci-liarem, nullo magis munere quàm propenſiſſimi cuiuſdam in te animi ſignificatione, hoc me aſſequi poſſe ſperarem. Quod quidẽ vt facerem, optimis,vt me iuuat ſperare, auſpiciis,inſtitutam olim à me orationem de Inuictiſſimi Parentis tui laudibus,tametſi nullum ille vnquam diuinæ illius ſuæ virtutis monumentum ſtatuit,te vno filio ſibi ad poſte ritatem clarius aut illuſtrius, dican-

dam

dam, tibi consecrandámque censui. Atque (mehercule) quanquam in re longè omnium difficillima, multa alia mihi impedimento fuerunt, quò minus mihi ipse placerem; ita sum tamen ex rebus à summo Imperatore gestis, veluti per vestigia quædam illius laudes persecutus, vt iam quasi in picta tabula, non quidem Cæsaris muta imago, sed verissima illius animi lineamenta, aut expressa, aut certè aliqua ex parte adumbrata conspiciantur. Est autem munus, nisi eum à quo proficiscitur spectare malis, & amplissimum, & dignum in primis, quod à Cæsaris filio multò illius veriore illustrioreq; imagine, læto atq; hilari animo excipiatur. Quãquam etsi hoc quidem spectari oporteat, ita in eo ipso munere largiendo, totam, quæcunque illa est, in me vis & facultas, tibi Rex optime & maxime trado,

do, vt si eam quasi tibi fouendam excolendamq́; susceperis, nō desperem quandoque fore, eos fructus vt legas, qui tibi quidem (quod iis accidere solet, qui ex illa arbore fructus decerpunt, quam ipsi seuerunt) videantur gratissimi suauissimiq́; esse. Interim quicquid illud est, clarissimum certè meæ in te obseruātiæ & studii monumentum apud posteros futurum, inter eaipsa quæ chariora tibi gratioraq́; sunt, pro tua summa virtute ac liberalitate collocabis.

Datum Antuerpiæ
Cal. Aug.

DE REBVS A CAROLO V. CÆSARE ROMANORVM IMPERATORE GESTIS, IOAN. MICHAELIS BRVTI ORATIO.



Ntelligo (Cæsar) grauißimam mihi ad dicendum rationem propositam esse, qui de tuis rebus gestis, maximis illis quidem atque amplißimis, nullo ipse maiore in dicendo vsu, copia, eruditione, eloquentia, dicere hoc tempore instituerim. Cùm enim difficillimum semper ipse esse existimaui, alias res omnes grauiores satis commodè vlla vi orationis explicare; tum tuas res gestas tantas esse omnes intelligunt, vt te vnum illi Maximum post natos homines Regum atque Imperatorum

rum

rum omnium, quòd illas gesseris, esse fateantur; à nemine iidem qui non æquè vt tu in agendo, omnium princeps in dicendo sit, satis pro earũ magnitudine, quemadmodũ à te gestæ sunt, explicari oratione posse cõtendant. Atq; (hercule) tantam hanc rem esse, declarat eorum hominum studium, quos permultos quidem incredibili quadam efferri cupiditate animaduertimus, maiorũ imagines in pictis tabulis fingendi. Qua illi quidem in re, tantò hac vna leuiore, ita præclaros in ea arte homines sibi deligendos esse existimant; vt facilè ostendant, qui illustrium hominum res gestas explicare literis aggrediantur, quæ verissimas eorum imagines, virtutem, constantiam, animi magnitudinem referant, summo ingenio atque eruditione homines, multóque dicendi vsu atque eloquentia claros, vocandos adhibendosque esse. Cùm autem ita statuendum est, præclarissimè cum iis agi, qui

cùm

cùm res laude dignas aliquas gerant, eos habeant, qui iis aut oratione illustrandis, aut monumentis literarum tradendis, parem splendorem & dignitatem, quam illi assequuti esse videntur qui eas gesserunt, afferre poßint: tum verò, qui id faciant, non magis de iis quorum res gestas illustrare literis aggreßi sint, quàm de iis qui postea sunt futuri (quod maximum præstantißimumque est) optimè esse meriti existimantur. Præclarum est hoc virorum fortium institutum, & viro principe in primis dignum, non solùm vt quæ illi præclarè & cum laude agant, ob eam causam literis tradi velint, quoniam ita facilè videntur posterorũ laudes consequuturi, quod illis præmium propositũ est ad rectè agendum amplißimum; sed vt ex eorum æmulatione quàmplurimi ad laudem, ad gloriam, ad res magnas gerendas excitentur; quòd nisi apta, illustri, & ad tempus accõmodata oratione

res eorum explicentur, fieri haud facilè potest. Neque verò (Cæsar) vt cæteros mittam clarißimos potentißimosque reges, qui aut nostra aut maiorum memoria floruerunt, quanquã te semper veræ laudis cupidißimum fuisse, tot res à te summa virtute & felicitate gestæ ostendunt, magis vnquam optasti, vt tuarum laudum monumenta apud posteros extarent, quòd ita fore sperares, vt eorum etiam testimonio qui multis postea seculis venturi essent, præstantißimus regum atque Imperatorum omnium iudicareris, quàm vt illi tanquam in clarißimum lumen, in tuas res gestas intuentes, te vnum quem ad omnes virtutes imitandas sibi proponerent, omnibus & fortunæ & animi ornamentis longè cumulatißimum haberent. Quæ tua virtus & felicitas tanta facit, vt quemadmodum qui oculorum aciem in solem intendunt, non facilè illius splendoris vim & magnitudinem

nem perferre possunt; ita quandiu in tuarum laudum splendorem & lucem intuemur, quas amplissimas & immortales maximis expeditionibus suscipiendis, grauissimis gerẽdis bellis, omnibus ferè orbis terrarũ partibus, tuis victoriis illustrandis es consequutus, penitus nobis mentis aciem & ingenij perstringat; vt neque iam, vnde de his orationem instituere, neque ad quem exitum illam perducere debeamus, magnoperè nobis constare queat. Qua re cùm cætera omnia quæ in Christiana Repub. ex quo tempore Hispaniarum Rex primùm, mox Imperator es declaratus, summa cum omnium admiratione gessisti, & magna sunt & præclara, & quò te maiorem illustrioréme ue reddant, nullam videntur præterea accessionem desideratura, tum in eo bello gerendo, quod maximum aduersus Germanos susceptum, summa à te felicitate gestum confectumque vidimus,

mus, eam constantiam, virtutem, animi magnitudinem, in victoria exercenda, eam in victos clementiam & misericordiam ostendisti; vt cùm à te omnia expectarētur, quibus omnibus qui vnquam in hoc Imperio clariores fuissent, longo interuallo præuerteres: omnium tamen opinionem viceris, te ipse superaueris, propè iam hominis vim ac dignitatē excēdens, summa atque immortali quadam gloria, ad diuinitatis fastigium accesseris. Etsi autem omnia mihi in hoc dicendi genere difficillima esse videntur, singularis tamen (Cæsar) tua illa animi æquitas & moderatio, me rei magnitudini succumbentem, & erigit & confirmat, & vt mihi planè confidere audeam, spiritus et fidutiam addit: in eo plurimum mihi video laborandum esse, vt cùm de te dicere instituerim, longè id alia ratione agam, atque illos sequutos esse intelligo, qui virorum principū laudes sunt sua oratione

pertractare aggressi. Sunt enim illa omnia sanè præclara, & quæ illis maiora hominum studia, admirationesque concilient, maiorũ gloria, splendor, nobilitas, res gestæ, victoriæ, triumphi, monumenta; sed & quæ viris sapientibus parum probentur, vbi vera ac solida gloria absit, & tibi vni in terris maximarum virtutum præsidio nitenti, minimum ad gloriam momentum possint adferre. Itaq; si quis à prima vestræ familiæ origine repetere instituat, quot clariss. Reges atque Imperatores, quot maximi belli Duces, quot viri amplissimi & optimè de Christiana Repub. meriti, maiore hominum existimatione & gloria floruerint: cùm non facilè exitum suæ orationi reperiat, tum ita fateatur necesse sit, maiores vestros summa virtute perfecisse, vt soli inter homines orbis Imperio digni, Imperium orbis illis dignum tantummodo censeri deberet. Atque quanq̃ cætera omnia,

quæ de iis commemorari possunt, vt sunt maxima & amplissima, ita quantumuis præclaris hominibus satis afferre gloriæ videntur; longè alia ratione tamen tibi laudi danda esse existimo. Sic enim, Cæsar, sapiētissimè semper statuisti, nisi eam gloriam, quam tibi maiores reliquissent, ampliorem redderes; quòd te homines augustissima familia ortum suspicerēt, nulla laude id dignum videri; si eos tua virtute ac præstantia superares, cùm quæ ipsi magna ac laude digna fecissent, cum tuis rebus gestis in comparationem venirent; tum q̄ magnæ illæ ac præclaræ essent intellectum iri, tum verā te ac solidam gloriam, tum te immortalitatem consequuturum. Non te igitur, Cæsar, maiores tui, sed tu illos illustras: tibi illi quicquid amplissimæ atque augustissimæ familiæ dignitatis accedat & gloriæ debent: tibi quòd Imperij maiestatem atque amplitudinem in omnes orbis partes longè lateq́; pro-

propagaueris referunt acceptum; non speratа mortui voluptate fruuntur. Vt verò tibi optandum fuit, eos maiores habere, qui splendore, nobilitate, meritis in Christianam Remp. amplissimis tibi aditum ac viam ad Imperium patefacerent; ac tantarum tibi laudum tanquã semina relinquerẽt; ita nisi tibi cursu rerum maximarum ad gloriam vehemẽtius & ad laudem contendendum; atque ea omnia tibi iis artibus excolenda censuisses, quæ dignæ principe omnium essent, nunquam tantum gloriæ atque dignitatis esses assequutus, quantum iam vix optare quanuis summis virtutib. cumulatisѕimo principi, in hac vita æquum esset. Ea autem iam à primis tuis annis, in te animi indoles ad virtutem, ad dignitatem, ad gloriam, ad res maximas gerendas fuit, vt quanq̃ nullis auitæ gloriæ monumentis, nulla maiorum commendatione, nullis amplissimæ familiæ insignibus & orna-

 men

mentis niteremis; tua te virtute tamẽ ad eam dignitatem, quæ maxima atque amplißima in terris esset, omnes existimarẽt peruenturum. Nam si in Alexandro Macedonum rege, quem tu (Cæsar) maximũ ac clarißimũ regum omnium, non Lydis aut Syris aut Persis imbellib. ac præfractis hominibus, sed ferocißimis ac bellicosißimis populis armis domandis longè semper antecelluisti, dignum maximo omnium rege futuro existimatum est, cùm ita quereretur, patrem se gloriæ auidiorẽ habere, quàm sibi, maiori gloriæ cupiditate flagranti, expediret, nihil enim sibi ab illo relictum iri, quò illustrius suum nomen efficeret: multò magis id à te exspectandum fuit; maximarum te virtutum præsidio nitẽtem, quid in augustiss. familia maiores vestri vnquã cum laude egissent, haud ita magni fuisse facturum. Audieras, Cæsar, sapientißimos homines & excellentißimis ingeniis, sic de gloria

sta-

statuere, eam verè gloriam esse, quæ maximorum in omne hominum genus meritorum commendatione, ad posterorum memoriam nomen nostrum propagaret: cùm autem omnibus ita statuendum esse, sibi de omnibus, quoadeius fieri posset, bene merendum, tùm id multò magis ab illo expectari æquum esse, qui cùm principatū inter homines obtineret, eas haberet opes & facultates, quibus longè præclarius, quàm cæteri mortales omnes, consulere rebus hominū posset. Itaque cùm illa, cum multis communia habuisti, quæ magnificentius tamen de tuis maioribus, quàm cæteri omnes prædicares, maxima virtutis ornamenta, decora, insignia, trophea, statuas, imagines, diuinos atque immortales honores, illud tamen tibi totum vindicasti; cùm dignitate omnes, tum virtute, religione, pietate, in Republica Christiana defendenda, fide, integritate, constantia, anteire.

Hac te animi præstantia esse, nondum Imperium adeptus declarasti; quæ dignitas omnium maxima quæ in terris sint, ita tibi admodum adolescēti summo Dei Immortalis consilio est delata, vt omnes intelligerēt, quòd clarissimus ac præstantissimus omnium esses, nulla te hominum vi, quam tibi illa ætas haudquaquam potuisset afferre, sed diuinitate quadā esse assequutum: Cùm rerum vsus atq; ætas prouectior accessisset, omnia te esse gesturum, quibus te homines tanquam aliquē in terris Deum suspicerent ac vererētur. Illud autē insigne in Christianam Remp. tuæ pietatis documentū fuit, ac tuæ gloriæ monumentū ad posteritatem amplis. Erat omne Inferū mare quà Italiæ, Hispaniæ, Galliæ oram attingit, vndique prædonū latrociniis infestum; vt nemini integrū esset ad exteras nationes nauigare, cui nō grauissima pericula imminerēt. quotidie cædes, rapinæ, direptiones, nauiū

euer

euersiones exaudirentur. Iam (quòd miseris vnum in malis præsidium reliquum erat) vt in propinquos agros, atque in vicina oppida sese è mari reciperent; in agros, in oppida, in ciuitates, & si qua opportuniora iniuriis loca essent excurrere prædones audebant: vastitate omnia, incendiis, populationibus vexabantur. Id cùm priuatim luctuosum omnibus, exitiosum vniuersæ Christianæ Reipublicæ, iis esset turpissimum, qui in illius administratione principes essent; vnus ipse adolescens ad salutem Christiani Imperij fatalis dux destinatus, altera iam ex Hispaniæ regnis comparata classe, eos vndique à tuis fusos ac dissipatos, atque in Meningen Insulam, quam tanquam arcē quandam ac propugnaculum sibi ad salutem instituerant, compulsos ad deditionem redegisti. Ea res cùm metu ingenti omnes liberasset, ac grauissimā labem & ignominiam è Christiana religione summa

ma tua gloria sustulisset, omniū quidem animos confirmauit, in maximam spem erectos, te vnū afflictas ac labantes Christiani Imperij res in suam antiquam dignitatem & splendorem vindicaturum; atque adeò vt te vnum Imperatorem expeterent, deposcerent, votis iam atque animis destinarent, perfecit. Ita enim omnes censebant, cùm de Imperatore in Christiana Republica deligendo ageretur, eius fidei maximè illius administrationem credendam esse, qui tanto studio atq; animi ardore, initio statim sui principatus, Christi hostes esset aggressus; qui vnam sibi viam ad gloriam patefecisset, barbarorum vires, insolentiam, arma reprimere, à iugulis nostris arcere, Christianis populis pacem, otium, securitatem præstare, Imperij Maiestatem virtute, auctoritate, armis tueri. Ea igitur, iam declaratus Imperator, suscepti à te Imperij auspicia esse voluisti (tanquam tibi prouin-

prouincia Asia demandata esset) paratā in Turcas expeditionem, eaque arma suscepta, quibus cùm immortalem tibi famam ac gloriam parares, tum (quod tibi omnium antiquissimum esset) plurimas ciuitates, prouincias, regna, Imperia, quæ acerbissimæ seruitutis iugo oppressa, crudelissimus barbarus, atque adeò summa Christiani nominis ignominia, possideret; in libertatem tua virtute vindicares. Summa erat omnium de te exspectatio; ingens animorum alacritas; certam sibi de hostibus victoriam omnes, te Duce, spondebant. Sic cùm tanquam signum quodam communis omnium salutis ac libertatis sustulisses, vnisque Christiani nominis hostibus tua arma formidabilia, pestem, cladem, exitium allatura, cæteris omnib. salutaria futura viderentur, quorum cōsilia ad otium & ad pacem spectarent; ambitio Gallorum illa à capitibus hostium auersa in Europam reuocauit.

Id

Id quanquam de Christianæ Reipublicæ maiestate detraxit plurimum, hostesque reddidit ad illam inuadendam alacriores, summi principis præsidio nudatam; semel tamen à te partam gloriam auxit, atque in aduersarios (si quid inde grauioris incommodi populo Christiano eueniret) omnem inuidiam odiumque concitauit. Satis tu enim antea documenti dederas, quo animo, qua virtute, qua religione, qua fide sanctissimam esses religionem à Christi hostibus defensurus; cùm quidem quæ esset optima Imperij administrandi ratio teneres, non te minori virtute, ad illius maiestatem inter Christianos tuendam, quàm ad barbarorum iniurias propulsandas accessurum. Ergo quò te aduersariorum arma vocabant, totus ad bellum Gallicum auersus; summaque vsus tuorum virtute ac felicitate, qui tuo nomine Italiam prouinciam administrabant; breui vniuersos hostes victos, profliga-

fligatos, castris exutos, ex Insubrum, ac Ligurum agro reiecisti, maximaq; parta victoria; vt iam omnes faterentur, te pacis atq; otij conseruãdi studio, nullaq; ambitione aut cupiditate elatum, arma sumpsisse, possessione opulentissimæ ciuitatis atque adeò totius Insubrum principatus qui semper sub ditione Romani Imperij, tum quidem iure belli, tibi adiudicandus esset, Francisco Sfortiæ aduersæ factionis homini, tua sponte cessisti. Cuius tu rei fructum quidem vberrimũ atq; maximum tulisti. Cùm enim eius prouinciæ possessionem, quam tibi omnia diuina atq; humana iura afferrẽt, ac per fraudẽ tibi ab hostibus interceptam, summa virtute, armis, asseruisses, tua sponte ab Imperio abiudicasti: liberam (deductis ex vniuersis ciuitatibus præsidiis) homini, quod multi prædicabant parum æquo in te animo, parum beneficij tui memori futuro, reliquisti: quam non laudem, quod

non

non præmium, quam non gloriam meritus? Neque verò aut consilium tibi, aut vires, aut opes deerant, ad iura eius prouinciæ, quanquam longissimè abesses, tuenda. Verùm aderant tum in Italia Clarissimi belli duces, & qui cum aliàs tuis auspiciis res amplissimas gessissent, tum proximè vniuersis hostibus debellatis, eandem tibi prouinciam armis adiudidicassent. Hac tanta animi moderatione & æquitate, quæ in priuato homine maximæ laudis commendationem haberet, satis declarasti, te, id quod præclarissimum sit, non imperia, non honores, non dignitates, quas haud rarò deterrimi ac perditissimi homines malis sibi rationibus conciliarent, sed cùm iis dignus esses, pacem & concordiam in Christiana Republica consectari, vnũ tibi studium esse, compositis Italiæ rebus, victricia arma in Christi hostes, vnde auocata essent, transferendi. Nihil quidem ab optimo

principe, & qui summam imperij in Christiana Republica administraret, poterat fieri ad gloriam illustrius, quàm Republica inter Christianos constituta, arma Christi hostibus inferre, ac tantam labem & ignominiam quæ sanctissimæ religioni hæreret, sua virtute ac consilio tollere. Præclarum enim est, ac magno homine dignum, posse vtcunque vni homini prodesse; cùm vniuerso Christiano orbi tot iam sæcula, inter grauissima bella, importunissimorum hostium armis afflicto atque oppresso, pacem, salutem, incolumitatem attulisses; cùm id quidem salutare omnibus, tùm tibi speciosissimũ ad gloriam atq; ad æternitatem futurũ erat. Existimabant ferè omnes tanta clade accepta, Gallos aliquando conquieturos, ac finẽ bellandi facturos. Iam in Apulia, in Campania, aliquot ab hinc annis victos, amissis maximis exercitibus ex Italia eiectos, fœdissime fugatos meminerãt;

Italiæ ciuitates vniuersæ, cùm æquè in spem pacis essent erectæ, abiectis armis, belli consilia minimè probaturæ esse videbantur. Sed tantam populo Christiano felicitatem, aduersa quædam illius fortuna inuidit. Nondum enim cùm omnia in hoc rerum statu essent, verterat annus, cùm Galli de integro maximis contractis copiis, vnde paulò antea tanta suorum strage aufugerant, ad Insubrum regnum inuadendũ descenderunt. Ea homines ambitione & cupiditate feruntur, vt Christianæ Reipublicæ Imperatorem, cuius virtute, fortuna, felicitate sæpè victi profligatique essent, ad suam quàm ad hostium perniciem arma vertere, Italiæ quàm Asiæ clade sibi gloriam parare, Christianissimum, quàm Turcarum regem captiuum, in triumphum ducere maluerint. Ligurum iam atque Insubrum vniuersas ciuitates, & inter eas Mediolanum, quam vrbem omnium clarissimã,

tan-

tanquam euisce belli caput, atque arcem, petebant, tantarum rerum molem minimè expectantes, aut vi, aut metu, aut deditione receperant, summos belli duces qui tuo nomine eam prouinciam obtinebant, quanquam virtute, gloria, magnitudine, rerum gestarum clarissimos, Ticinum ingenti metu oppressos compulerant; si qui ex fœdere tuis auxilio esse cogerentur, & inter eos Clementem.VII. Pontifem Maximū (neque verò deerant qui ius impulsu Gallum in Italiam irrue existimarent) ad defectionem, aut tu, aut spe, magnitudine pollicitatiorum induxerant; in omnibus denique eam de se opinionem excitauerant, vt vniuersum orbem sui nominis terrore in suam ditionem redacturi, nullæ vires, nullæ copiæ eorum vim, potentiam diutius passuræ esse viderentur. Hæc cùm ita omnes metu, ac pauore perculissent, vt eorum adhuc recordatione nostri ho-

mines perhorrescant; te vnum de cuius nomine, dignitate, salute, imperio agebatur, celsiorem semper atque erectiorem animo habuerunt. Vnius sanè Cæsaris erat, cùm omnium mortalium Princeps dignitate esset, humana omnia contemnere, inuictumque ad omnia animum præstare: neque solùm maiorum commendatione, sed virtute, consilio, animo, auctoritate, augustissimam atque amplissimam in terris dignitatem tueri. Longissimè tu quidem eo tempore ab Italia aberas, maximis ac grauissimis Reipublicæ negotiis impeditus. Atqui quanquam cuiusmodi res tuæ in Italia essent, audires, nullus te metus, nullus terror, nullæ hostium minæ, nulla tuorum pericula, cùm grauissima & maxima iis perpetuò impenderent, te inde detrahere vlla ratione potuerunt. Quæ res tamen ita ab omni temeritate abfuit, vt ægrè diiudicari possit, prin-

cipio eiusce belli, fortius ne an prudentius; eodem gesto, moderatius, an pro hominum existimatione magnificentius, te gesseris. Cuiusmodi Gallorum ingenia essent, quæ eorum in bellis gerendis ratio, qui mores, quæ instituta, quæ vires, summa quidem eorum clade, maxima tua gloria, antea expertus eras: principiò vires eorum intolerabiles, ingentia corporum robora, cùm prior impetus resedisset, nihil illis præfractius atque effœminatius esse; Cùm igitur summi Ducis atq; Imperatoris fuit, opinionem, qua vt plurimum bella geruntur, pro præsenti rerum statu maiorem hostibus de sua virtute ostentare: tum eos duces in Italia habebas, de quorum consilio, prudentia, fide, tibi esset nullo modo dubitandum: vbi decernendum armis esset, virtutem atque constantiam, in Imperij dignitate retinenda, singularem eorum esse intelligeres. Ergo cùm ad Calendas

Octobr. Galli tanto omnium terrore in Italiam descendissent, ante easdem Intercalares, eos signis collatis à tuis victos accepisti, capto eo Rege, qui vnus omnium nobilissimus ac post hominum memoriam potentissimus esset. Nusquam aut patrum aut maiorum memoria, aut grauius bellum, aut difficilius, aut maiori cum celeritate gestum confectumq́ue audiuimus. Itaque si Cæsar sibi verti summæ gloriæ voluit, quòd aduersus Pharnacem Ponti Regem (bello suscepto) venisset, vidisset, vicisset; quanto tibi amplius & magnificentius ad hominum commendationem & laudem fuit, qui vbi infestissimum bellum ad te opprimendum, in nobilissima totius orbis terrarum prouincia ortũ audisses, sola illud tui nominis fama atque opinione absens, atque adeò ita breui, ita feliciter, ita ex sententia (tanta de hostibus parta victoria) confeceris? In eo omnes summã Imperij

perij.

perij verti existimabāt: aderat summus ac potentissimus rex cū maximis copiis; hostes huiusmodi, quorum nomen, auctoritas, vires, præter te vnum, cunctis formidabiles essent: tui intra Ticini muros fame, obsidione oppressi, iam vltima oīa passi, propediem in potestatem hostium venturi, latebant. Quæ omnia cùm ita præter omnium exspectationem fortuna commutarit, vt qui se antea totius orbis terrarum breui victores esse iactarent, paulò postea victi, profligati, castris atq; impedimentis exuti, eum Regem quē sua opinione Romanorum Imperatorem haberent, captiuum duci animaduerterent: non te ea solùm omnibus huiusce ætatis, sed omnium seculorū clarissimis Regibus atque Imperatoribus prætulerunt. Tot bella populus Romanus gessit, tot populos, tot nationes, tot immanes ac barbaras gentes deuicit, in suam ditionem redegit, tot maximos ac fortissimos belli Duces

atque Imperatores extulit: Maximos, Africanos, Paulos, Marcellos, Marios, Pompeios; quorum perpauci hostium duces, nulli tantum Regem unquam in triumphum duxerũt. Ergo Pauli gloriam maximã fuisse fatentur, qui Macedonia deuicta & in prouinciæ formã redacta, viuum Persea cepit: Marium, qui Iugurtham, laudibus maximis afficiunt: quorum neutrum tamen quisquam aut dignitate, aut opibus, aut (id quod maximum est) studio gloriæ huic parem fuisse dixerit. Iam si ita existimandum est, semper præclarũ esse hostes vincere; eos quidem vincere qui animo, viribus, copiis sint pares, rem tantam vt facilius à multis optari, quàm obtineri posit; eum Regem atque hostem cepisti, de quo non facile constet, clarior ne an nobilior, potentior, an (Hercule) tibi infestior fuerit. Erat ille quidem cùm ex iis maioribus qui principatum in Romano Imperio ingenti

genti sui nominis gloria, obtinuissent; tum iis opibus & fortunis, vt si id abfuisset ad tantam dignitatem æmulandam tamen spiritus sumere, se esse tibi parem existimare posset. In tanta rerum tuarum fortuna, cùm ita tibi omnia læta ac secunda euenissent; quo quidem tempore mitissimo etiam ingenio homines efferri animis solent; cùm tantũ hostem vicisses, captiuum apud te haberes, de eo iure belli supplicium sumere; tantũ Imperij æmulum, nullo negotio de medio tollere; opulentissimi regni vires frãgere, euertere, delere posses; nihil à te insolens, nihil barbarũ, nihil immane, nihil quod alienũ esset à moderatissimo principe, vidimus. Deductũ illum cum classe in Hispaniã, Madrilli asseruari ad tuum aduẽtum iussisti, liberali admodũ custodia, & quæ præter libertatem, quam ille quo se die victori dedidisset, amiserat; nihil quod esset persona regia dignũ, adimeret.

In morbum incidit, neque id, quod Galli contendunt, squalore carceris, sed animi ægritudine, tristitia, mœrore, quibus ille tantæ fortunæ minimè patiens perpetuò angebatur; quo tempore eum visendi causa, id quod tibi per grauissima negotia non sine tuo maximo incommodo liceret, hostem captiuum ac supplicem adiisti; solatus es; bono animo esse iussisti; si ad pacem atque ad otium illius consilia spectarent omnia illi, salutem, libertatem, regnum te restituturum pollicitus. Quid hac animi æquabilitate lenius? quid clementius? quid mitius? quid in tanta fortuna à summo principe expectari moderatius potuit? summæ felicitatis fuit hostem vicisse, cepisse, potuisse in illum ad satietatem sæuire; sed nihil maius aut præclarius, quàm te vsque eò moderatũ tibi esse, vt ægrum inuisere, solari, oblatis pacis conditionibus vltrò ad pacem prouocare potueris. Magni animi, inquam

quam, significatio fuit, & Cæsare digna virtus, nō solùm integris adhuc viribus, maximis fortunæ præsidiis fidentem, armis superasse, sed captiuum & animo & corpore ægrum, maximisq; cruciatib. confectum, in summo mœrore & luctu amissa libertate agentem, modestia, facilitate, humanitate, te ipsum (quod difficillimum est) optimo iure in tanti hostis perniciem incumbentem, clementia ac misericordia vicisse. Audio eruditissimos homines, Cæsarem cùm post deuictum in Pharsalia Pompeium, vniuersis hostibus, quicunque se suæ fidei tradidissent, veniam dedisset; maximis atque amplissimis laudibus extulisse; eum plurimos mortalium maximis bellis terra mariq; gerendis, munitissimis ciuitatibus expugnandis, ad internicionem delesse; ferocissimas gentes, barbaras atque exteras nationes parere populo Romano coëgisse: neque tamen inde tantum gloriæ ac laudis,

dis, quantū iam victoria potitum ita inimicis suis ignoscendo sibi conciliasse: Esse enim eam victoriam clarissimam, qua ipsius victoriæ vis & conditio vinci possit: magnificentissimū triumphum quem homines cupiditate, iracundia, libidine, omnibus vehementiorib. animi affectionibus superatis de se agant; cætera illa omnia, classes, exercitus vincere, ciuitates expugnare, cùm eam naturā vt vinci possent, haberent, à summa laude abesse existimanda. Itaq; illud in maximis laudibus eidem adscribunt, cùm in Africa nūtium de morte Catonis accepisset, eum & illachrimasse, & nimium fortunā suæ gloriæ inuidisse conquestū: quæ sibi eum hostem è manibus eripuisset, cui si parceret, omnium laudes & gloriam fuisset superaturus. Qua magnitudine laudis, cū te Cæsari aut parem, aut superiorē ostenderis, in eo illi longo interuallo præuertisti. Neque enim eadem tibi & Cæsari

pro-

proposita ratio fuit in hostibus conseruandis. Nam ei qui in libera ciuitate & quæ imperium in omnes gentes haberet, principatũ esset et regnum instituturus, hac clemẽtiæ opinione erant homines deliniendi, sensim ad seruitutẽ perducendi, his artibus vt parêre discerent, assuefaciendi; quarum rerum nulla tibi ratio habenda fuit. Cùm enim in eas gentes ac populos Imperium habes, quibus semper populare ac plausibile nomen regium fuit, tũ vt libentissimè tibi parêre vellent, iam à primis tui Imperij auspiciis, tua clemẽtia, æquitate, virtute, sapientia perfeceras. Quòd igitur hosti ignoueris, quòd illi grauissimas atque acerbissimas iniurias condonaris, quòd eas pacis conditiones obtuleris, quæ victo æquiores quàm victori essent, quòd postremo libero abire iussò sororem in matrimonium collocaris, quòd acerrimum hostem victum, captiuum tua affinitate dignũ duxeris: nul-

nullo metu id, sed studio pacis tuendae, Christianae Reipub. conseruandae, arma cõmunib. hostibus inferendi causa (quae vna res semper tibi maximè curae fuit) impulsus egisti. Nanque eodem spectat singularis in eundem illa animi moderatio, qui cùm (si quid cõtrouersiae de prouinciis esset) positis armis te iudicio disceptaturum pollicitus eras. Illa enim silentio mihi praetereunda esse censeo, qua omnium ordinum multitudine, qua frequentia, quibus populorum studiis, quo plausu decedentem illum ex Hispania sis prosequutus. Satis constat te vsque eò in illo ornando, ab Imperij dignitate recessisse, vt paulò antea captiuum regem, qui tuo beneficio, libertatem, salutem, vitam, dignitatem retineret, in dextera haberes incedentẽ, ouantis ac triumphãtis speciem prae se ferentẽ, tanta tua gloria, inquam, à te victum, assectari patereris. Et sunt enim illa peruulgata, & eam iam hominum


num opinionem fueras tuæ vitæ constantia consequutus, vt si quid ageres, quo te omnium hominum clementissimum, mitissimum, moderatissimum esse significares, id neque mirum, neque nouum cuiquã videri posset. Iam in constituendis Italiæ rebus, quæ tãto bello labefactatæ ac penè euersæ erant, nulla quidem tuæ dignitatis, nulla tuorum cuiusquam commodi ratione habita, nobilissimam totius Italiæ prouinciam, quã paulò antea ex hostium faucibus ereptam, tanta virtute vindicasses; quæ tum ad belli subsidia, tum ad pacis ornamenta, omnium opportunissima esset, quæ vberrimos atque opulentissimos fructus suppeditaret: eum obtinere es passus, qui cum tuis hostibus paulò pòst consilia initurus, in tuum caput conspiraturus, bello, vastitate, incendiis vniuersam Italiam vastaturus esset. Nam non ita multò postea tui perniciosissima conspiratione patefacta, quã aduersus tuam digni

dignitatem omnes ferè Europæ principes cum tuis hostibus inierant, Franciscum Sfortiam Insubrum principem, quo maximè authore ita illi conspirasse dicebantur, coëgerant se in Mediolani arcem recipere, ibique omnibus vitæ præsidiis atq; ornamentis destitutum, de extrema sua salute cogitare, ac sollicitum esse. Cùm interim, quanquam te crebro suis literis sollicitarent, magnopereq; contenderent, homini imperares, vt ex arce excedere, suique potestatem ad quæstionem facere vellet, neque iis ita de sua salute sollicitis morem gerere voluisses, & positis armis quibus longè te superiorem esse intelligeres, ex iuris æquitate, qua vna rè vinci tantùm in terris patereris, causam illius de integro cognoscere cõstituisses. Quanquam eius moderationis laudem aliàs nõ minorem tulisti: cùm enim ille graui morbo esset oppressus, omnib. Italiæ populis de re tanta sollicitis ac perturbatis, quibus

si

si nobilissimus Italiæ principatus tuæ di-tioni accederet, nimium tua potentia formidabilis esset, ut omnium quieti atq; otio consuleres, eiusce rei liberam potestatem Pontifici Maximo permisisti, quemcunque ille Insubrum principem nominasset, modò ne esset ex hostium numero, æquo animo passurus. Iam summo desiderio suorum Franciscus Rex libertati restitutus, aduersus te, suum conseruatorem, cui dignitatem, fortunas, libertatem, vitam deberet, cuius summam in se clementiam atq; humanitatem acerbissimo suo tempore esset expertus; cũ Clemente. VII. Pontifice Maximo, atque vniuersis Italiæ principib. fœdere percusso, toties à te concussas ac præfractas vires erexit, excitauit, bello de integro terra mariq; multò etiã maiorib. q̃ antea viribus instaurato. Ea fuit scilicet Põtificis Max. et Christi personã in terris gerẽtis (vt Christianos alios principes mittam) religio & fides:

cùm



cùm optimum ac religiosissimum principem, grauissimo gerendo bello oppressum deserere, & cui auxilio esse ex fœderis religione deberet, hostibus prodere: tum aduersus victorem, sollicitatis ad defectionem fœderatorum animis, fœdus ferire, vniuersos Europæ principes, & (quod referre pudeat) Turcas & Afros, perpetuos nostræ religionis hostes ad bellum excitare, omnia deniq; quæ ne ab immanissimo Turca expectanda essent, aduersus Christianissimum principem, sanctissimamq́ue religionẽ, impudentissimè crudelissimeq́ue moliri. Itaque quo incendio conflagrare Asia debuit, Italia, in qua vix prioris belli flamma restincta esset, exarsit: quibus armis crudelissimorum hostium vires deleri, Italiæ robur concidit: qua virtute Christiana Respub. aduersus Turcam ad se tuendam vti, aduersus Christi Pontificem, aduersus Christianiss. regem est vsa. Nondum à regis

libe-

liberatione exactus annus erat, cum sanctissimũ (si diis placet) fœdus inter Christianos principes aduersus clarissimũ Imperatorẽ, Christianæ religionis vltorem & vindicem, cuius vnius præsidio, Italia atq; Europa vniuersa, tuta à barbarorũ iniuriis & maleficiis esse posset, auctore Pontifice Maximo ictum est. Sic dum in propriam perniciem conspirantes Christiani principes suis sese opibus perdunt, ac diuinã tuam (Cæsar) virtutẽ ad suam malunt, quàm ad hostium ruinam excitari, Pãnonia à Barbaris inuaditur, clarissimus ac nobilissimus Rex ab acerrimis nostræ religionis hostibus cum vniuersis copiis ad internicionẽ deletur, Christianorum vrbes diripiuntur, vastantur, ad solum euertuntur, omnia cædibus, sanguine, cruore, incendiis cõplentur. Tantam cladem Christiana Respublica, non à Turcarũ Imperatore, sed à Pontifice Maximo, sed à Christianis Principibus,

quorum ambitio, cupiditas, odium, tua arma ad Imperij salutem & dignitatem defendendam, in Italiam auerterant, accepit. Itáque eodem fermè tempore, & Pannoniæ vrbes Turcarum sæuitia, & Italiæ ciuitates Gallorum & Pontificis armis concidebant: Christiani homines Christianorum simul et Turcarum vim, barbariem, crudelitatem, iniurias, contumelias, experiebantur: cùm nihil spei interim, nihil præsidij, nihil quò perfugerent, te suo principe de tua salute cogitare coacto, in vllo mortalium reliquum haberent. Nam illa, quanquam te inuito, at summo Dei Immortalis consilio, tuarum iniuriarum vltoris, mox cõsequuta sunt; Romanæ vrbis captiuitas, in ea diripienda, populationes, cædes, incendia, matrum familiâs, virginum, ingenuorum constuprationes, sacrarum ædium euersiones, Pontificis, Cardinalium, amplißimorum hominum deditio, tot clades, tot hominũ inte-

interitus, tot mala, vt eorũ recordatione ipsi etiam qui nõ interfuimus ingemiscamus. Iam Gallis in Italiam profectis, qui dies vnq̃ nobis proximo non acerbior ac calamitosior illuxit? quem vacuum à cædibus, à populationib. ab incẽdiis vidimus? Ticinum vrbs capta, direpta, incensa, omnes Insubrũ ciuitates, quò illa belli fax peruasisset, rapinis, populationib. exhaustæ: calamitosissima ac luctuosissima illa omnibus Gallorum in Apuliam atque in Campaniã profectio, Neapolitanæ vrbis obsessio, pestilentia, fame, rerum omnium inopia æquè obsessi & qui obsiderent, afflicti & vexati; ex .LX. hominum millibus qui ad eam vrbem obsidendam conuenerant, ad .XL. millia desiderati. Is finis atq; exitus sanctissimi illius fœderis fuit ad Christianæ Reipublicæ defensionem icti: tua quidem religio, pietas eadem, gloria maior atque illustrior: hominum studia qui tuæ laudi fauerent, longè

 in

in te propensiora. Odio, acerbitate, iniuriis hostium, atq; adeò armis lacessitus, neq; ad eos quidem vlciscendos, sed ad te tutandum, arma sumpseras; eorum vires & audaciam fregeras; Imperium tibi à Deo Immortali traditũ summa virtute tutatus eras; nihil deniq; nõ optimo principe dignum gesseras. Nam si qui in acie ceciderunt, cum aduersus principẽ Christianæ religionis arma cepissent, neque hoc sanctissimo nomine erant digni censendi, & cur ex illorum iactura doleret Christiana Resp. nihil subesse causæ videbatur. Ea ita esse Deus Immortalis, qui perpetuò tibi adfuit, tuos semper tutatus est; qui (quod nulla humana vis, nullúm ue consilium efficere vnquam potuisset) terra maríque hostes longè tuis superiores euertit, profligauit, deleuit, clarissimè ostendit. Nam illud tibi immortali gloriæ fuit, eundem te animũ in aduersis rebus, tot malis circumuentum, tot

ad

aduersæ fortunæ fluctibus iactatum, retinuisse, quē paulò antea homines tanta tua laude in lætis & secundis maximam ac clarisſimā victoriam de tuis hostibus adeptum vidissent. Quanquā enim eam in te virtutem atque animi præstantiam iam pridem omnes admirati erant, minimeq́; erat opus, quò id nobis exploratius esset, te grauiori fortunæ ictu peti, id tamen ad tuam constantiam significandā, opportunum atque adeò necessarium esse videbatur. Vt enim in cursu haud satis sit ei qui ad victoriam contendit, acriorē impetum cùm è carceribus exit adhibere, nisi eundem perpetuò retineat: Ita indignum summo principe erat existimandū, cùm te homines fortisſimum in omnibus fortunæ incommodis superandis esse animaduertissent; nisi te eundem esse in cæteris tuis temporibus, si qua tibi se acerbiora ostenderēt, præstitisses. Admirātur (Cæsar) nostri homines maximas alias

in te virtutes, quæ perpetuam illam tuam in bellis gerendis fortunam & felicitatẽ comitantur, integritatẽ, innocentiam, religionem, temperantiam, inauditã quandam prioribus sæculis in supplices & victos misericordiam, clementiam, mansuetudinem, facilitatẽ: inuictissimi quidem illius animi robur, grauitatẽ, constantiã, fortitudinẽ, quam in aduersa fortuna geris, nullis satis dignis laudibus consequi possunt: Iam illud perspicuum (Cæsar) esse video, quod principio meæ orationis præfatus eram, nullum esse hominẽ adeò grauẽ ac copiosum in dicendo, nullum ita eloquentẽ, nullum ita ingenio, vsu, eruditione, arte præstantẽ, qui ad rerum tuarũ magnitudinẽ oratione consequendam par esset: quanq̃ oĩa semper à te summa essent exspectata, itaque homines putarẽt, nullum tecum superioris ætatis clarissimorũ Regũ atque Imperatorũ aut virtute, aut gloria esse conferendum, te omnium ex-

spe-

spectationem superasse, ac longè vniuersos retro post te reliquisse. Nondũ enim Galli aut tibi satis ad gloriam materiæ, aut Italiæ (quanquam iam illa perpetuis bellis per tot annos afflicta et vexata esset) satis cladium ad illius ruinam suppeditauerant, adhuc erat Christianorũ sanguine fœdanda, multi mortaliũ necandi, clarissimæ vrbes vastandæ, diripiendæ, aliæ te adhuc victoriæ, alij triumphi, alia gloriæ insignia ac monumenta manebant. Quæ quidem ad Cæsaris nomẽ illustrandũ minima tamẽ accessio erat; satis illius in bellis virtus atq; præstãtia toties hostib. ab illo victis spectata; innocentiã, integritatẽ, fidem, religionẽ, iam suscepta aduersus Turcas & Afros, toties ab illis impedita in Christi hostes expeditio, eximiã illius esse declarauerat; lenitatẽ, mansuetudinem, modestiam iam ipsi experti, omnes qui illa auditu percepissent, admirati erant; quæ essent in illo virtutes, quæ

animi ornamenta, vt illi intra Galliæ fines se continuissent, omnibus erat exploratũ. Abhorrebat Cæsar ab hoc genere laudis, & cùm eam gloriã quæ sibi Christianorũ sanguine constaret, oderat atq; execrabatur, tum maximam atq; clarissimam, si id sibi per eorum odium atq; importunitatẽ liceret, de Turcis, de Afris, de Barbaris portendebat; inde victorias, supplicationes, trophæa, clarissima ad posteritatẽ monumenta, sanctissima Christi religione in antiquum suum splendorem & dignitatẽ sua virtute vindicata, ominabatur. Atqui cùm vix à superiori clade Gallia respirasset, tot hominũ millibus ad Neapolin cum exercitu amissis; per tot annos, tot sumptibus, tot delectibus militum habẽdis exhausta, noui exercitus, nouæ copiæ cõtrahuntur, eandem Italiam fatalem ad Gallici nominis exitium prouinciam petunt, armis inuadunt, aliquot vrbes de improuiso capiũt,

po-

postremo amisso duce victi, profligati, fœdissimè fugiunt, vix quò se recipiant, qui tanto omniũ terrore in Italiam irrupissent, habẽtes. Magna semper (Cæsar) in omnib. bellis, quæ iam plurima gessisti, felicitas in te quidem spectata est; in eo longè maxima, nusquã à te partam victoriã nisi cũ ipsis copiis duce exercitus esses potitus. Ticinensi pugna cùm cæteri duces exercitus, tum Rex potẽtissimus captus, ad Neapolin & maior copiarũ pars, & qui clarissimus Imperator ea tempestate haberetur, morbo absumptus, nouissimo hoc prælio cùm tanta victoria tui potiti essent, dux hostium in eorũ manus viuus perductus. Tanta in Christiana Repub. incommoda cùm pax tandem cõsequuta esset, atq; ita illa quidem firmata, vt ipse victor in conditionib. pacis dicendis, nulla alia re, nisi virtute, præstãtia, & quadam quasi altissimi animi exaggeratione victis superior esses, in Italiã ad insignia

imperij accipienda Bononiam venisti. Is honos tibi (& si qui honos diuina virtute homini poterat satis eo dignus haberi?) summus ac clarißimus ad posteritatem fuit, non ille maiorũ tuorum gloriæ, monumẽtis, rebus gestis, triumphis; sed tuæ virtuti, religioni, fidei, innocẽtiæ, meritis in Christianam Rempub. maximis & immortalibus delatus. Nam illud omnes fatentur, in tot tantisq́ue religionis nostræ naufragiis, quibus illa perpetuò iactata est, nisi ipse quidam quasi moderator omnium fluctuum ac belli ventorum affuisses, vix tanquam in portum sic ad pacem & otium vnquam fuisse venturam. Quid enim? vtrum metu Cæsar aut quòd bellando defessus esset, an quòd ea cura illum sollicitum perpetuò haberet, vnum semper illius studiũ esset, Christi hostes vlciscendi, debellandi, grauißimã labem & maculam è sanctißima religione tollendi, prohibebatur, toties à se vinci assuetum

suetum hostem vrgere, vlcisci, persequi, non solum ex Italia pellere, sed de capite, de regno, de salute in discrimen vocare? Id igitur vt tibi integrũ esset, fœdus cum hostibus victis, deteriori ipse cõditione futurus icisti; ne Christi nauis naufragium faceret, ac tot bellorum fluctibus obruta mergeretur, iacturã rerum maximarum fecisti; Insubrum principatu, in qua vna prouincia totius nerui ac vires Imperij in Italia essent, læsæ tuæ Maiestatis cõuicto homini tua spõte permisso, obsidibus liberis infestissimo ac potentissimo Regi redditis. At (hercule) neq; illud dici potest quòd te iam suscepti belli pigeret, aut te ad pacem inclinasse, aut multa quæ tuo optimo iure essent, hostibus permisisse; cuius vt declarati Imperatoris, ita mox Imperij adepti initia, bella, exercitus, classes, arma vltrò Barbaris illata essent futura. Nam illud interim minimè puto silentio prætereundũ, quæ summa laus in-

Im-

Imperatore est, neminẽ aut pluribus vnquam, aut grauioribus, aut magis inter se diuersis atque disiunctis bellis, aut maiore in iis gerendis constantia, firmitudine, animi robore præstitisse, plures annos in armis fuisse, maiores aut clariores res te vno gessisse. Si qui igitur tuas res (Cæsar) eleuare volunt, Alexandrũ Macedonum Regem, Cæsarem, Africanum, in contentionem vocãt: quorum gloriam, cùm inuidia nulla quæ vetustate iamdiu obsoleuit, lædere possit, maximam homines arbitrantur. At Alexandrum quanquam adolescens admodum regnum adeptus, bellum Asiæ intulit, neq; tot annos arma Asiatica exercuerunt, & cum iis populis bella gessit, qui neque aciem, neq; conspectum armorum ferre possent, vna re tantùm superiores futuri, si victores sua cæde & occisione defatigarẽt. Itaque vt illius incorrupta apud posteros gloria maneret, præclarè cum illo fortuna egit,

im

immatura morte, cùm nusquã illam aduersam expertus esset, in summo rerum humanarum fastigio è vita profecto. Alioqui si Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ prouincias bello lacessisset, quæ Romanorũ virtus, qui animus, quæ constantia, quæ rei militaris scientia, quæ Gallorum Germanorumq; robora ac vires essent, vnde ipse cùm victoriis plurimis consequendis, tum triumphis clarissimis ducendis immortalem iam tibi gloriam parasti, quid inter fœminas & viros interesset, pugnãdo didicisset. Multa Cæsar præclarè, multa cum laude gessit, vniuersam Galliam, transalpes ad extremam Oceani oram, Germaniam omnem, Britanniam, atq; eam quidem toto à nobis orbe diuisam intra decem annos subegit, Imperio populi Romani adiecit, in prouinciæ formam redegit: in Italia, Hispania, Asia, Africa, vniuersis hostibus maximis præliis victis, immortalia suæ

gloriæ monumenta reliquit, nemo negat: ſed vt mittam huic tanto illius ſplendori multa alia tanquam tenebras offudiſſe, arma ab illo iis populis illata, quibus, cùm nunquam populi Romani hoſtes fuiſſent, multi cenſuerint illum eſſe dedendum: patriam infeſtißimè oppugnatam, necatos ciues, iura, magiſtratus, leges, maiorum inſtituta violata, principi omnium gentium vrbi acerbißimæ ſeruitutis iugum impoſitũ: quandiu cum Gallis, cum Germanis, cum Britannis, cum Barbaris pugnauit, nunquam non robore ac virtute militum par, peritia rei militaris, conſilio, prudentia, ſuperior fuit: ciuili quidem bello aduerſus Tyronum exercitum, & ex colluuione omnium gentium contractum, veteranũ ipſe militem habens perpetuò pugnauit. Quæ (Hercule) ne nimium eleuari atq; extenuari videantur, vt ſunt & ſumma & præclara, & digna eo qui tecum tantæ virtutis ac gloriæ prin-

cipe

cipe conferatur, esse fateamur. At non nisi serò ille & .XL. iam annum attingens ad res gerendas accessit; qua quidem ætate cùm ipse ea gesseras, quæ te illi meritò aut præferrent, aut æquarent, tum totidem ad hunc diem annos, quot ille in bellis versatus est, multò plures posthac (quod speramus) tua augenda gloria, rebus maximis gerendis, eras in armis futurus. Iam Africanum; quanquam non semper ille suis auspiciis rem gessit, & post Cannensem pugnam illam memorabilem, Respublica ab illo Tribuno militum egregiè administrata, quam quidem iam labantem, districto gladio in eos qui illam prodere vellent, adolescens ingenti sui nominis gloria sustinuit: & quatuor Pœnorum exercitus in Hispania deleti, & munitißimæ vrbes expugnatæ, & nouißimè apud Carthaginem Annibal tantus belli dux, tot clarus victoriis, ac Romanorum cladibus, victus:

&

& quidem (quod est grauissimũ) eiusdem testimonium, cùm qui sua sententia cæteris Imperator præclarior esset, ab illo rogatus, vnũ esse omnium maximũ pronuntiasset: & multa alia præterea, summum esse Imperatorem ac belli Ducem ostenderunt. Neque tamẽ quicquam ab illo posthac actum cum laude accepimus, & Punicum illud bellum, cuius quidem gesti gloriam tulit, nõ amplius quàm sedecim annos perdurauit. At te (Cæsar) totidem iam annos bella maxima gerentem, nemo vnquam defessum, defatigatumq; vidit: fortiorem semper ad omnes belli labores, ad pericula omnia subeunda animo paratiorem tanquam Herculem quendam, inuicto animi robore, omnibus fortunæ incommodis atque ærumnis summa gloria perfunctum: metum, pauorem, formidinem præ te agentem, Christiana Resp. experta est. Cæteros omnes quanquam illos præclaros ac summos habitos,

bitos; at si quidem tecū conferantur tanquam minorū gentium Imperatores, ita superasti, vt tibi faciat iniuriam, si quis tecum illos in cōtentionem vocare velit. Dum igitur more maiorum à Pontifice Maximo Imperator appellatus, in Italiæ rebus constituendis, ac ciuitatum conuentibus peragēdis occupatus es, Solimanus Turcarū Imperator vacuam Panno niam præsidiis nactus, Viennam (vnde etiam iam aliquot ab hinc annos, re infecta, discesserat) exercitu .CCC. hominum millium comparato inuadit; haudquaquam arbitratus, cùm longissimè abesses, te illi in tempore auxilio futurum. In quo quidem Christianæ Reip. grauissimo discrimine, quanquā multa alia quæ tibi constituenda superessent, te in Italia detinerent, ac tuum animū diuersum traherent; ne ea spes tamen quā de te concepissent, Christianos homines falleret, tanquam ad certam victoriā, ad hostes, atq;

ea quidem celeritate, vt cùm vix crederẽ possent, te nuncium de suo aduentu accepisse, in conspectum haberent, profectus es. Nemini dubium erat, si modò barbari sui potestatem ad pugnam fecissent, quo die dimicatum esset, non de eorum nomine atq; imperio vniuerso actum iri. Tantus metus illos incesserat, tanta apud illos tui nominis auctoritas, tanta tuæ virtutis opinio erat, vt quanquã ita multi essent, nulla vt ratione iniri numerus posse videretur, de fuga tamen consilia ceperint, obsidionem soluerint, fœdissimè multis in locis tabernaculis atque impedimentis relictis, abierint, non paucis è suis quos in postremo agmine tui cõsequuti essent, amissis. Sic maximam de illis victoriam tibi minimè præreptam, in aliud tempus Deus Immortalis meliori (vt credimus) consilio distulit: quod quidem breui futurum ominamur. Satis (Cæsar) intelligo, quamplurimis qui pro

rei

rei magnitudine id æſtimare minus animis queant, quanquam (Hercule) nihil à te vſquam præclarius, aut maiori cum laude geſtum facilè contenderim, non æquè magnum videri. Itaque cùm illud nemo non fateatur, hac tanta rei benè gerendæ tibi occaſione prærepta, magnoperè vniuerſis Chriſtianis populis fuiſſe dolendum, quibus ſi victoriam eſſes aſſequutus, & Byzantium, & Aſiam vniuerſam ſpondere animis licuiſſet, tum eandem tibi gloriam, eoſdem triumphos, honores deberi: atque ſi ſignis collatis cum hoſte conflixiſſes, eum viciſſes, æquè omnes fatentur. Quid enim? aderant vtrique inſtructa acie parati ad pugnandum, & Chriſtianorum & Turcarum Imperator; vtrobique gladij, bellica tormenta, milites, & quidem tantò barbari numero noſtris ſuperiores; de re ſumma, de vniuerſo Europæ atque Aſiæ Imperio agebatur: ſi quis pugnã detrectauit,

si quis trepidauit metu; si quis fuga salutem sibi parauit, LXXX. mill. passuum (quod mõstri simile esse videtur) eodem die confecit, ille se victum, hostem victorem pronunciasse; nomen, dignitatẽ, imperium (quantum in se esset) amisisse, fateatur necesse est. Illud quidem inter omnes constat, summum è regiis præfectis rogatum, quid ita tantus princeps, tanto comparato exercitu, nulla re tanto belli apparatu digna facta, abiisset; ita respõdisse, quòd nimium Cæsaris fortunam vereretur, non committendas temerè Asiæ fortunas vnius diei prælio censuisse: atq; nõ me latet, varios esse belli euentus, neq; semper hominũ consiliis fortunã respondere: haud raro quidem eos qui firmioribus præsidiis ad victoriam nitantur, sua spe frustrari; at nihil non hostem de sua clade, exitio, internicione; omnia contrà certum Cæsarem de victoria reddebant. Ea omnia enim penes illum erant, miles

ex

ex Hispaniæ, Italiæ, Germaniæ delectibus lõgo militiæ vsu exercitatus, qui pro religione sanctißima, pro aris & focis, pro communi omnium libertate, de vniuerso Imperio Asiæ, quod præmiũ victori propositum esset amplißimũ, certaturus esset; Cæsar ipse exercitus Imperator; cũ Cæsarem dico, omnium qui vnquam fuerunt Imperatorum præstantißimũ dico; cæteri duces, quibus cùm suam ætatẽ omnem in maximis bellis consumpsissent; nusquã vinci, semper vincere hostem contigisset; gloriæ quidem ac nominis cupiditas, pietas in Christianam Remp. singularis, studium, hostium cõtemptus, certam vincẽdi spem afferrent: omnia apud hostẽ diuersißima, incondita multitudo, nouus miles, & qui cùm nusquam ferri aciem, nusquam puluerem, nusquam strepitum armorum exaudisset, ægrè diiudicari posset, vtrum duci in retinendis ordinibus, an hosti in cædendo plus laboris

allaturus esset; Iam qui tantis copiis Imperator praeesset, effœminatus, mollis, praefractus, fœminarum atque exoletorum antea illecebris ac lenociniis victus, nunc si se ad pugnam committeret, solo armorum aspectu vincẽdus; cæteri multitudinis duces huiusmodi, vt cùm ad libidinem, ad nequitiam, ad illecebras, ad corruptelas, ad omnia fœdiora vitia nati essent, neque quid laus, neque quid gloria esset, secum animo æstimare possent. At (hercule) ne ea omnia nobis argumento sint, quantã (Cæsar) rem gesseris, itaq; fateamur, cùm hostes quid de se, ac de tuis, si prælium committeretur sperarẽt, adeò fœda ac turpi fuga ostenderint, penes quem victoria statura esset, dubium futurum; quantæ illud tibi gloriæ adscribi debet in tanto Christianæ Reipub. discrimine, summo quodam in illam studio pietatis, in vnius pugnæ euentum te tantum Imperatorẽ, nomen, gloriam, Imperium, salu

ſalutem, vitam contuliſſe? Reipublicæ ſalutem ac dignitatem, potiorem atque antiquiorem tua ſalute habuiſſe? Id mea ſentētia tanti æſtimandum eſt, vt tametſi nihil aliud in hoc tanto Imperio à te eſſet præclarè geſtum, te immortalibus ac diuinis honorib. dignum efficere contendam. Quid enim aut maius, aut præſtantius in Chriſtianæ Reipublicæ principe poterat excogitari, quàm ſi pro iis & ſanguinem, & vitam profunderet, quibus Chriſtus Optimus Maximus huius ſanctiſſimæ religionis auctor, ſalutem ſuo ſanguine, vitam morte & ea quidem omniū acerbiſſima attuliſſet? Nam tantum in te animi ardorem, tantam alacritatē fuiſſe, hoc te ſemper ſtudio gloriæ flagraſſe, & multa alia nobis & illud imprimis argumento eſſe poteſt, in ſuperioribus omnibus bellis, quæ multa iam ac varia aduerſus Chriſtianos principes laceſſitus eorum iniuriis geſſeras,

te nunquã ad eum diem affuisse, illa per tuos duces gesßisse; in hoc vno quod pro Christiani nominis gloria susceptũ, cum Christi hostibus esset gerendũ, ipsum interesse, in acie stare, pugnare, aduerso pectore vulnera excipere, de capite, de salute dimicare voluisse. Ergo non solùm clarißimum illum Argiuorũ regem, Lacedæmoniorum Leonidam, Epaminundam, Decios, Paulos, & si qui alij pro patria se hostibus deuouerũt, sed Christum ipsum conseruatorẽ humani generis, cuius religio sanctißima tuæ fidei commendata esset, æmulatus, non aureo diademate, non sceptro, non orbe quem manu geris, nõ aliis Imperij insignibus quibus eras honestatus, sed bene de Christiana religione merendo, pugnando, mortẽ pro illius salute oppetendo, præstandam tibi Imperatoriam dignitatẽ censuisti. Quanquã & in hoc ipso bello (audio enim Fabium Maximũ, qui nusquam cum Anni-

bale

...nflixit, non minorem quàm Africanũ, qui eum maximo prælio victum superauit, conseruatæ à se patriæ laudẽ retulisse) cùm illud ita abs te feliciter terra esset gestum, vt imminentem propediem nostris capitibus ruinã, summa tua gloria auerteris; & maximã cladem Turca, & insignem victoriam à tuis nauali pugna cõmissa Christiana Respub. tulit; Coronis antiquiss. ciuitate (Andrea Auria maximi nominis Imperatore classis præfecto) expugnatis, per vim captis, direptis, innumerabilib. penè nostræ religiõis hostib. interfectis. Iam cùm multò maiore cõparata classe ad eam vrbem recipiendam insequẽti anno redissent, clarissimã tui victoriam de illis retulerũt; fortissimis militibus qui in ea vrbe iam vltima essent passi, quorumq́ue egregia opera in difficillimis Reip. temporibus vsus esses; quo die cum hostib. de deditione transegissent, sibi ipsis ac Christianæ Reipub.

ita

ita opportunè conseruatis, barbaris o-mnibus, partim disiecta, partim incensa classe, aut captis, aut necatis, aut in fugā coniectis. Cæterū cùm eum exitum tantum hoc bellum habuisset, satisq́ue ab ea parte Respublica tua virtute iam tuta esse videretur, ne qua orbis terrarū pars vacua tuis triumphis, ac victoriis esset, bellum illud Africanum excepit, grauißimū illud quidem, & nisi victoria penes nostros stetisset, exitio atque ruinæ omnibus Christianis populis futurū. Ænobarbus erat Turcarum claßis præfectus acerrimo vir ingenio, & ob multa quæ præclarè in Christianos gesserat, à Solimano eorū Imperatore Tuneti Rex appellatus, quam ciuitatem totius Africæ opulentisſimā, per vim Muleasse Rege inde eiecto occupauerat. Perniciosissimū id esse apparebat, cùm Europæ vniuersæ, tum Hispaniæ imprimis, quæ opportunior cæteris loci vicinitate barbari

in-

iniuriis esset. Iam pridem vires atque opes illius formidabiles Christiano populo erant, nunc tanti regni accessione, videbantur posthac nulla posse ratione perferri. Quæ mala, quæ clades, quæ damna exspectari ab hoste infestissimo possunt, et qui maximis viribus ad iniuriam vtatur, exspectanda nobis quotidie erant; captiuitates, cædes, euersiones, incendia, excidia vrbium, innumerabilia mala, nisi qui vnus iis obuiam ire posses, te excitasses, tantum hostem coërcendum, bello persequendum, Regno, fortunis, tantis opibus spoliandum, de medio tollendum, tibi tua virtute censuisses. Itáque proposito edicto, quo die tibi ad Barchinonam tui prestò cum classe essent, CC. inde nauibus profectus, secundissimáque fortuna vsus, ad Africæ litora paucis admodum post tuam profectionem diebus appulisti. Inde militibus expositis, captáq; munitissima arce,

quæ .XII. mill. passuum interuallo obiecta vrbi firmissimis præsidiis tenebatur: vrbem cepisti .XX. hominũ millib. qui in acerbissima seruitute agerent libertati restitutis. Intelligo (Cæsar) sæpè enim illud mihi testandum est, pro rerum tuarum magnitudine, nimis à me breui oratione illas perstringi: eas autem quanquam vt gestæ essent explicari possent, omnem tamen fidem superare, ac procul à veritate abesse existimatum iri. Neque enim me illud fugit, nisi in oculis atque in conspectu omnium, & ita vt neminem latere possent, tuas res gessisses, quamplurimos (qui morbus latissimè patet) à me illas assentandi gratia ita auctas esse existimaturos. Sed & te (Cæsar) singularis tua virtus, dignitas, gloria, præterea hominum studia, laudes, honores, cùm illa non nisi amplissimis atque immortalibus in Remp. meritis debeantur, ne quis tibi assentari videatur, tutum præstant: &

me

me ab hac culpa longissimè abesse, mea præterea anteacta vita & mores facilè testari possunt. Ne igitur multus in eo sim, quantum tibi nominis ac gloriæ hoc bello ita prosperè atque è Christiana Republica gesto, quantum existimationis accesserit, quod tu tamen iam cumulatissimè adeptus eras; quid potuit Christianis hominibus aut præclarius, aut commodius, aut ad eorum salutem aptius accidere, quàm tot hominum millibus è durissima vitæ cōditione in libertatem ascitis, suis priuatim ac Reip. redditis, Mare perpetuis antea latrociniis infestissimum liberum nauigationi patefactum, vectigalia quæ belli ac pacis tempore ita liberis populis necessaria essent restituta, fidem in ciuitatibus retentam, tuta vbique omnia vnius virtute, fortuna, ac felicitate reddita esse? Nam (Hercule) ni animaduerterē non deesse hoc tempore, qui tuam (Cæsar) immortalem ac diuinam virtu-

tem perstringere maledictis auderẽt, minimè mihi illud commemorandum putarem, te id quod grauissimum ac difficillimum est, ab eo regno abstinere potuisse, quod opulentissimũ in Africa esset, quod ad res in ea prouincia gerendas opportunissimum, quod summa virtute maximã victoriam adeptus obtinuisses, eo qui inde pulsus hostium iniuriis esset, nullo illius antea studio, beneficio, prouocatus, homine barbaro præsertim, rursus imperare iusso. Quæ malùm hæc est hominum audacia, amentia, importunitas? Illum vides, cuius rei causa quamplurimi in parentes, in liberos sæuierunt, grauissimaq; scelera susceperunt, regna, principatus, imperia ab se abiudicare, ob aliorum commoda arma capere, bella grauissima gerere; de imperio, de capite, pro Christianæ Reipublicæ salute ac dignitate dimicare: victoriæ laudem ad illum, commoda ac præmia omnia ad alios peruenire

nire: & ita tamen nefariè atque impudenter maledictis illum, inquam, incessere audes? Nam quòd arcem maximam & munitissimam, quæ vrbi immineret, præsidio imposito retinuit, fuit id summo consilio à Cæsare factum. Neque enim barbaro homini & leuissimo ingenio, atque (id quod caput est) à nostra abhorrenti religione, fidendum erat. Itáque nihil ab illo sapientius excogitari potuit, vt illum in officio contineret, quàm tanto illi prærepto propugnaculo, omnem ad res nouas moliendas occasionem adimere: mare ab ea parte, ne quid inde incommodi Respublica acciperet, tutum præstare. Victor igitur Cæsar, atque vniuersis hostibus è regno illo eiectis, ac profligatis, in Siciliam, atque inde in Italiam profectus, Neapolin ad triumphum pro rebus tantis agendum, summa populorum omnium expectatione, venisti: quæ vrbs aliàs sem-

semper tui studiosissima, iis te honoribus tum prosequuta est, vt victori omnium gentium, neque ampliores, neque clariores haberi vlli potuerint. Inde cæteris Italiæ ciuitatibus aditis (video enim, mihi cùm ad alia maiora contendam, minimè nunc illa esse commemoranda, qui ad te hominum concursus fierent, quæ obuiam itiones, quæ omnium ordinũ studia, gratulationes, cùm te Christianæ Reip. parentem, & conseruatorem, passim omnes effusi è ciuitatib. consalutarent) ne tibi in otio diutius esse liceret, ad bellum Gallicum proficisceris, Regiis dum ipse aduersus Christi hostes sanctissimam eius religionem defendis, Taurinos ac Salassios, quarum gentium principatum ad se spectare iure gentium contenderent, subitò aggressis. In quo bello gerendo (ne plura dicam) cùm iam bie. nium in armis hostes fuissent, ac per varios duces insignibus perfuncti cladibus rem gessissent, ita sem

ſemper eos ſuperaſti, vt tandem apparuerit, Gallòs ad Cæſaris gloriam augendam bella ſuſcipere, ad arma ire, res ſemper gerere ſolitos. Induciæ tantum bellum conſequutæ ſunt, victore Cæſare ad ea bella properante; quæ non ex ſua ſolùm, ſed ex Chriſtianæ etiam Reipublicæ dignitate eſſent. Namque clariſsimum ille in ea re ſuæ in Chriſtianam Rempublicã pietatis ſemper documentũ dedit; in ſecundis ſuis, aduerſis hoſtium rebus, nullam vnquam pacis conditionem, quamuis parum æquã, aut ex victoris omnium gentium dignitate, vt ſibi otium ab armis Gallorum agenti bella cum communib. hoſtibus gerere liceret, auerſatus. Itaque fœdere cum Gallis (ſpectante Pontifice Romano, ad Niceam vrbem Narbonenſis Galliæ) percuſſo, bellum cum Mauris geſturus, cùm eorum latrociniis & excurſionibus maria omnia in Europa eſſent infeſta, in Italiam ad claſſem comparandam diſceſ-

sisti. Læta primùm expeditio, mox ratio belli gerendi huiusmodi, vt nisi cœlum, terram, mare prorsus tibi parêre cogeres, victoria de hostibus aliter potiri non posses. Disiecta classis, fractæ naues, perpetuis imbribus corrupti commeatus, amissa tormenta, omnia in hostili terra infesta, nulla oppida, nulla tecta: tot mala consequuta fames, difficultas petendi ex Europa commeatus, fracti tot cladibus militum animi: cùm vnus Cæsar inuictus ad omnia, passim in tabernaculis milites desperantes de summa rerum, solareris, confirmares, ad militaria munera obeunda excitares, quem animum in aduersis & fluxis rebus gerere deberent, tuo exemplo doceres. Inter quæ omnia illud diuinæ atque admirabilis cuiusdam virtutis fuit, cùm classe Iuliam Cæsaream appulsa, quod oppidum loci opportunitate, ad bellum gerendum

ap-

aptißimum, Barbari delegerant; princeps omnium cum hostibus manum conseruisses, nisi omnibus in nauibus impositis, ipsum prius nauim conscendere, aut soluere noluisse. Sequitur bellum, quod cum Menapiis geßisti, qui te in Africa res gerente, Belgis qui tuæ ditionis essent, arma intulerant. Aduersis enim rumoribus ad multitudinem excitandam paßim dißipatis, te cùm ex Africa re infecta solueres, naufragio cum vniuersis copiis interiisse: facilè ex ciuitatibus iuuentutem ad arma exciuerant, atque adiunctis Gallis, Belgas nihil minus quàm huiusmodi quicquam metuentes, de improuiso erant adorti. Ergò bellum (vt Galli abessent) per se grauissimum, cùm ad Cal. Iul. ad hostem isses, ac partim vi, partim metu, partim deditione, vniuersas hostium vrbes recepisses, quæ prima vim experiri maluisset, militi

diripiendam tradidisses, grauissima peri cula ipse adiisses, extra munimenta sæpe, atq; ita vt tibi ad pedes crebris tormentorum ictibus iactæ sphærulæ acciderent, summo vitæ discrimine processisses, coacto nobilissimo ac potentissimo Regulo ad deditionẽ venire; intra duos menses iam ad integrum aliud Gallicum intentus, confecisti. Quo gerendo bello eousq; progressus, vt propediem hostes essent de salute Imperij in discrimen venturi, eos ad conditiones pacis descendere coëgisti, id enixè Christianis populis qui tot clades ac ruinas execrarentur, precibus ac votis à te contendentib. Neq; verò quæ inter bellandũ tot antea iam partis victoriis, ac triumphis digna gesseris, cõmemorare hoc tempore constitui, & sunt enim innumerabilia, & ipse iam perfeceras tua virtute, vt nulla oratione res tuæ gestæ explicari, in hoc studio laudis, cuius te esse auidissimũ nunquam dissimulasti, nullæ

sa-

ſatis pares laudes tibi attribui poſſent. Itaq; illud eſt in te admirabile, vt pro rerum à te geſtarum magnitudine ſatis dignè laudari non poſsis, præter te vnum accuſandum eſſe neminem; quæ laus maxima eſt, in promerendis laudibus, laudes te omnium ſuperaſſe, omnia præmia quæ maiora atque ampliora rectè factis proponi ſoleāt, tuis rebus geſtis inferiora oſtendiſſe. Iam inter tot bella adeò grauia ac difficilia verſanti tibi nunciatum erat Germanos ad defectionem ſpectare, Philippo Landgrauio Haßiæ, & Iohanne Friderico Saxonum Duce res nouas molientibus. Expeditionem igitur longè difficillimam aduerſus nobiliſsimā gentem, & per multos iam annos viris, armis, omni apparatu belli florentiſsimam, aduerſa quidem omnium opinione ſuſcepiſti; ſed eo conſilio vt tandē exitu belli conſtiterit, non te ſolùm ſuſcipiendis, ſed finiendis bellis, & prudentia, & virtute;

& felicitate, & omnibus aliis Imperatoriis artibus semper aliàs, sed eo tempore maximè, omnibus qui vnquam bella grauiora gessissent, præstitisse. Principio enim cùm bellum iam per aliquot annos crebris conciliis ciuitatũ, & apud multitudinẽ in cõcionibus iactatum, tandem in apertum erumperet, quanquam ipse præter exiguam Hispanorum manum, quam præsidij causa apud te haberes, nullis præterea copiis, auxiliis, alióue belli apparatu munitus esses, defectionis tamen auctores hostes declarandos, iure eligendi Imperatoris (quæ dignitas maxima est) spoliãdos, bello persequendos, censuisti; nunciis in Italiam, in Hispaniam, in Belgas ad militem cogendum dimissis. Neque verò dum alij delectibus habendis occupantur, ipse cessare aut in otio esse potuisti; neque auxiliis quæ à Pontifice Maximo mittebantur expectatis, ad hostes cùm illi peditum

ditum .LXXX. equitum .XX. millia in armis haberent, profectus. Sanè constat cùm ad Ingolstadium Noricorum vrbem, tuos intra vallum equitatu longè inferior contineres; te millies ac ducenties maiorum tormentorum ictibus petitum esse, in summo quidem pauore ac consternatione omnium, adeò hostem contempsisse, vt intra ordines milites, adhortantis vultum atque oris alacritatem intuentes, pugnæ signum poscerent, verso repentè in audaciam metu, in hostem proscisso vallo, erumpere, ruere in certam mortem, vltro viderentur. Eundem vultum atque animi habitum cùm ad Lohingum, quà ad exercitum commeatus importabãtur, castra posuisses, veritus ne si eum locum hostis præoccuparet, facilè ad tuos aditum intercluderet, hyemis difficillimo tempore, perpetuis imbribus, summa locorum iniquitate, cùm limo vestigiis cedente,

 neque

neque tentoria figi, neque usquam miles consistere posset; fame, frigore, tabe omnes passim conficerentur, eandem (inquam) constantiam & alacritatem præ te semper tulisti; celsum atque erectum te ad subeunda omnia fortunæ incommoda ostendisti. Eiusdem constantiæ fuit, cedentem hostem (quanquam milites niuium magnitudine obruente) insequi, hærere semper in vestigiis, vltro misso caduceatore pacis conditiones offerentem, nunquam nisi se penitus suæ potestati permitteret, audire voluisse; cùm is hostis esset, ea potentia, his viribus, ipse in hostili terra, durissimo anni tempore, ea frigoris magnitudine, quam vix sustinere sub tectis facile esset, rem gereres, in itinere esses, militem in opere, in campo, in acie haberes. Ergo tantam virtutem consequuta sua præmia sunt, haud dubiè iam vniuersis Germaniæ ciuitatibus se tibi certatim dedentibus, hostibus cùm

de

de summa rerum desperarent, suam singulis fortunam respicientibus, ac gratiæ & veniæ locum apud victorem captantibus. Non minori felicitate Saxonas aggressus, cùm eos insita animis ferocia adhuc in armis haberet, atq; insolētiores & contumaciores redderet, duce eorum viuo (quod tibi semper fatale fuit) in potestatem redacto vicisti, interim te venisse, vidisse, Deum quidem immortalem vicisse, summa pietatis laude testatus. Multa sanè in eo bello & admirantur nostri temporis homines, & qui postea sunt futuri mirabuntur, gentis nobilitatem qua cum bellum gesisti, opes, potentiam, rerum iam à primis temporibus à maioribus gestarum magnitudinem, cæsos Romanos duces, deletos exercitus spectantes; quæ cùm omnia per se quidem maxima, iam sunt à multis monumentis tradita literarum, tum si ego persequi oratione velim, me antea vox,

la-

latus, vires, dies ipse deficiat, quàm minimam eorum partem videar assequutus esse dicendo. Sed illud quidem prӕter quàm in te vno Cӕsare in omnib. dignum summa admiratione; superbissimos atq; insolentissimos hostes qui tuum latus, iugulum, vitam petissent, à te conseruatos; neminem nisi armatum & in acie cecidisse. Quӕ res quidem si tanta est, quantam hi esse intelligunt, qui quàm dulce ac iucundum sit inimicum vlcisci, sunt aliquando in vita experti, vna me ratione facilè consequi dicendo sperabo, si me eam non posse dicendo consequi fuero professus. Noua genera laudandi, & non antea eruditis hominibus excogitata (idem enim video mihi crebro esse testandum) cùm te sæpè meritum hoc genus laudis esse constet, & magnitudine ingenij, eruditionis, eloquentiӕ clarus ac nouus orator, cùm noua sint omnia quӕ gesseris, adhibendus erat, qui de tuis lau-

dibus verba faceret; is cùm ego esse non possim, ita inquam me maximã tibi laudem allaturum spondebo, si non solùm hanc meam, quæcunq; illa est, in dicendo facultatem, sed omnem vim, copiam, eloquentiam tuis laudibus inferiorẽ esse contendero. Bella multa, varia, tot annos cum variis hostibus, nunq̃ vario euentu gessisti. Italiam, Africam, Germaniam, Galliam, Pannoniam, terra mariq; rebus maximis gerendis, clarissimis parandis victoriis aut ipse peragrasti, aut per tuos duces lustrasti. Reges inimicos maximos belli duces, nouissimè Germanorum longè nobilissimos principes, victos maximis prælius, cepisti; vnum, quod inter omnes constat, Christianæ Reip. maximè formidabilem hostem, cum. CCC. hominum millibus in Pannoniã inuasisset, tuo aduentu repressisti, re infecta summa sua ignominia retro redire coëgisti, eiusdẽ classis præfectũ, maximi nominis Imperatorem

pos-

possessione Africæ viribus opulentissimi regni spoliasti, in capta atque direpta vrbe .XX. hominum millibus è durissima seruitute liberatis: Taurinos, Salassios, cæteras alpinas gentes, quæ ad Gallos defecerant, graui acrique bello persequutus ad officium reuocasti: rursus in Africam (suscepta expeditione) quanquã vi tempestatis, fluctuum, imbrium, multis cladibus obrutus, inuictæ & incredibilis cuiusdam virtutis ac constantiæ monumenta reliquisti. Menapij dum ipse aduersa fortuna rem in Africa geris, sublatis animis, Belgis tuæ ditionis hominib. arma intulerant, eos bello aggressus coërcuisti. Veteres hostes Gallos sæpe à te victos, nouissimè intra regni fines compulsos, ad pacis conditiones descendere coëgisti. Bello postremo Germanis illato, nobilissimam bello gentem, auctoribus defectionis viuis captis vicisti, veteri Imperio adiunxisti: in tuenda Imperij Maiestate maximis

per-

perfunctus incõmodis, laborib. ærumnis, inter grauissima ac maxima bella terra marique gerẽda, iam XXXVI. annum semper eandem fortunam expertus, inuictum, insuperabilem, dignum tanta in terris dignitate præstitisti: cùm Deus Immortalis summam semper tibi facultatem vlciscendi hostes fecisset, plurima tuæ clementiæ, humanitatis, nullã sæuitiæ aut crudelitatis monumenta exstare voluisti: rebus gerendis, bellis, victoriis clarus: conseruandis hostibus, obliterandis iniuriis, beneficiis maximis dandis, longè clarissimus; salutarem semper Christianæ Reipublicæ principem, quandiu tibi per tuos hostes licuit, ostendisti. Quæ omnia nisi quis se facilius admirari, quàm dicendo complecti posse fateatur, idem quoque fateatur necesse est, omnes virtutes, omnia animi bona, omnes artes quæ in viro principe, in Imperatore, in summo belli duce cumulatissimæ esse possint,

ſint, fuerint tamen vnquam in nemine, ſtylo orationis perſequi, atque ſaltem ex parte adumbrare poſſe. Quare fruere hac tua gloria (Cæſar) & vnus in terris aſſequutus, vt cùm laudes maximæ & immortales tibi debeantur, nullis tamen quæ te dignæ ſint, affici laudibus poßis: me quidem cùm quicquid arte, ingenio, vſu valui, in tuas laudes contulerim, & ampliſsimis tuis atq; immortalibus in Christianam Rempublicam meritis, & meo officio patere ſatisfeciſſe.

Pagina .j. quatern. C. lin. xiiij. leges aut metu, aut ſpe, aut magnitudine. Item pag. penult. quatern. D. lin. vj. tum totidem annos. Si qua præterea errata ſunt, cùm illa haud ita magni ſint momenti, negligenda duximus.